V. C. I. GRANGIER SCHOLÆ PRÆLEO-BELLOVACÆ MODERATORI CLAVDIVS LIENARD. S. D.

INTERPELLARE animi tui contentionem (vir clarissime) *quem publica, quem priuata officia distringunt, parum consulti hominis esse ducebam. Seu enim studijs assides, seu eloquentia tonas & fulguras: Seu Academiæ negotia tractas aut Bellouacæ domus, cuius tu secundus parens meritò dici potes; quis inde te audeat reuocare quin peccet in publicum? Is erat meus animique mei sensus, ea religio, donec subijt cogitatio, esse exigui animi unum agere, nec interpellari te posse hac nuncupatione, qua mihi tuum patrociniumquæro, quod priuatis, quod publicis rebus deesse non solet. Imò præpostere actum existimarem si alia quærerem præsidia, cùm à te omnia mea cœpta profecta sint, si qua unquam rectè cesserunt. Præposterè sensit sibi inductum calceum Augustus quo die seditione orta penè extinctus est: Quid si ego peruerso ordine disputationem subeam, eo neglecto qui mihi semper melioris consilij author extitit? Turpe est aliena numina quærere, præsentia negligere: à te igitur initium ducet hæc nostra concertatio, & si solita tua me admittat dignatio, te duce ac patrono nihil desperandum, nullumque euentum timendum arbitrabor.* VALE.

AD QVODLIBETARIAM

QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS DISPVTATIONIBVS AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS XXIIII. NOVEMB.

IOANNE MARTIN DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An quodque ex quoque trahere possit & in vnumquodque mittere?

NATVRA in humani corporis fabrica, veluti alter Pictor in Principis tabella depingenda, tanta sagacitate & solertia operatur, vt in ea nihil nisi elaboratissimum spectandum exhibeat, adeò vt homo naturæ opus absolutissimum perfectissimumque meritò perhibeatur, reliqua vero, nisi in suo genere, imperfectissima sint: quas enim dotes in alijs carptim & quasi parca manu collocauit, in homine affatim singulas reponendas curauit. Verum vt anima tota in toto, & tota in qualibet eius parte, vna & simplex, vbique non æquè operatur sed perfectius in capite, in anterioribus quidē partibus imaginatione, in posterioribus memoria, in verticē intellectu seu ratiocinatione: Sic natura etsi in singulis humani corporis partibus singulares industriæ suæ effectus ostentat, attamen in trium partiū principum structura hepatis scilicet Cordis & Cerebri (cōformationis ordine priorū) quicquid habet illa virtutis aut solertiæ elucet.

CEREBRVM ἱερὸν dictum corde ipso & hepate præstantius, sensus & motus est principium, licet nec sentiat nec moueatur, temperamento frigidum humidum, spiritus animalis fons, eiusdemque facultatis sedes, neruorum qui per vniuersum corpus sparguntur radix & scaturigo. Cordis præstantiam hæc arguunt, quod sit ἀρχὴ τοῦ θερμοῦ καὶ τοῦ ζῆν, pulsus primus author, vitalis facultatis domicilium, arteriarum ῥίζωμα, viscerum omnium calidissimum est & siccissimum, ignauis grandius datum, audacibus pusillum, omnibus atque iisdem morborum telis expositum quibus & vniuersum corpus: Duo illius motus Diastole scilicet & Systole intermedia quiete eaque gemina excepti naturales sunt, prorsusque ad vitam necessarij: ita vt corde contracto dilatentur arteriæ, illoque dilatato hæ constringantur.

HEPAR, quod in infima regione constitutum est à natura, honorifico Principis titulo decorare non dubito, quippe cum huic tanquam infimæ regionis Regi ventriculus, lien, vesica & renes subministrent. Quod autem sit temperamento calidum & humidum, αἱματώσεως officina, spiritus naturalis author, venarum principium, quibus tanquam riuis vniuersam membrorum œconomiam irrigat aliq; nemo, arbitramur, inficias ibit: Sicuti vero in Cerebro facultatem animalem, in Corde vitalem collocauimus; ita in hepate naturalem reponendam esse meritò putamus, quæ sit omnium origine prima, maximéque necessaria. Vulgaris est illius diuisio & optima, in Altricem, Auctricem, & Procreatricem: Cùm enim corporis nostri substantia perpetuo dissipetur, ab insito calore humidum natiuum absorbente, facultas Altrix necessaria fuit, quæ conuerso in substantiam corporis alimento, quod perijt resarciret, & continenter nouam in defluentis locum reponeret.

HVIC autem quatuor veluti subsidiariæ inseruiunt facultates, Attrahens, Retinens, Concoquens, & Expellens: Nulla enim est ne minima corporis particula quam non alimenti benignitas attingat, id autem non eo appellit per se motum, aut alieno externoque impulsu agitatum, restat igitur vt trahatur, ita vt sit sua cuiusque particulæ vis attrahendi, quæ quod sibi familiare est & conueniens ex sanguinis mole prolectet. Ea si est facultatis attrahentis necessitas vnicuique parti ingenita, necesse est simul & expellentem quandam inesse, quæ quod inutile est & superuacaneum depellat. Trahit porro vnaquæque pars, vt quod sibi familiare est sibi annectat, eiusque suauitate perfruatur, & sibi tandem prorsus assimilet, quod dum efficit id necessario continet & conseruat (alioqui enim nequaquàm eo frueretur) dum autem diutius continet idipsum proprio calore concoquit: Quare præter Attrahentem & Expellentem necessario quoque intelligi potest Continens & Concoquens facultas, & harum duntaxat ope omnis nutritio completur.

VERVM Attrahens facultas cuiuscunque partis munus suum præstat, vel solo calore, vel fibrarum rectarum ministerio, vt expellens transuersarum & Continens obliquarum, Concoquenti siquidem fibræ haud necessariæ sunt. Iecur ergo hac facultate attrahente instructum à venis Mezenterij, vt & hæ à ventriculò trahet nutrimentum; eodem iure ventriculus à venis mezaraicis, vt & hæ à iecore, immò Cerebrum à planta pedis minimoque manus digito & quauis alia corporis parte etiam remotissima alimentum trahere potest, quemadmodum illæ omnes ab illò licet remotissimo: neque enim difficilius est à partibus internis ad superficiem vsque corporis aliquid accedere, quam à summo & vltimo corpore aliquid intro recurrere; etenim ξύρροια μία· ξύμπνοια μία· ξυμπαθέα πάντα.

Ergo quodque ex quoque trahere potest & in vnumquodque mittere.

Proponebat CLAVDIVS LIENARD, Dormanus. Anno R. S. M. DC. XVI.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Claudius Geruais.	*M. Ioannes Merlet.*	*M. Quirinus le Vignon.*
M. Franciscus Guenault.	*M. Gabriel Arduinus de S. Iacques.*	*M. Dionysius Guerin.*
M. Michael Francier.	*M. Michael de la Vigne.*	*M. Iacobus Letus.*

544